



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

XXVIII. De his, quorum vxores moechantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

tea errauit, non offerat; sed tantum pro religione nomen presbyteri portet. * Similiter & de diaconibus seruandum est, vt si ipse confessus fuerit, ordinem subdiaconatus accipiat.

* In alia editione hac inserta sunt. Sin autē non ipse confessus, sed ab alio publice fuerit cōuictus, nec hoc ipsum habeat, vt nomen presbyteri portet. Similiter, &c.

Can. 9. & 10. Burch. lib. 2. c. 48. luo p. 6. c. 149.

XXVI.

Si quis viduam aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad clerum; aut si obrepserit, reiciatur: similiter si homicidii, aut facti, aut præcepto, aut consilio, aut † assensione post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, deiciatur, & in finem vitæ suæ communionem non recipiat.

† defensione est apud Gratianum: verum Gregoriana nota videtur probare hanc lectionem, & Conciliū Tribur. c. 11. Hieronym. epist. 128. ad Fabiolam, sic interpretatur viduam eiectionem & meretricem: Vidua, inquit, est, cuius maritus est mortuus; eiectionem est, quæ a marito viuente proicitur; meretrix, quæ multorum libidini patet. Dist. 34. cap. Si laici. & dicitur, ex Concilio Martini papæ.

XXVII.

Si quis presbyter aut diaconus fuerit fornicatus aut mœchatus, proiciatur, & agat pœnitentiam.

XXVIII.

Si alicuius laici vxor in adulterio fuerit deprehensa, hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur. Si autem post ordinationem, alicuius clerici vxor adultera fuerit, dimittat eam: si autem cum ipsa voluerit permanere, a ministerio alienus sit.

XXIX.

Si qua vidua episcopi vel presbyteri aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla * religiosa cum ea conuiuium sumat, nunquam communicet; morienti * tantum ei sacramenta subueniant.

Dist. 18. Si qua vidua. ex Concilio Toler. I. cap. 18.

* religiosa perfecta

* tamen

XXX.

Si deuota fuerit, & maritum duxerit; si eam pater vel mater in affectum receperint, a communicatio-

Concil. Tom. 12.

Rrrr